

453
 fticam societatem, adhesionem & cohabitacionem: non tamen quo ad honorē, obedientiam & ἀντιπελαργίαν. Ex verbis: *Itcirco relinquet homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suae.* Non igitur coniugium aduersatur legi naturæ & Dei de parentibus honorandis: Est autem indissolubilis coniunctio viri & fœminæ; proinde diuortia coniugum extra casum fornicationis aut perhæc desertionis facta expresso Dei verbo damnantur. *Matt. 19. 9. Quicumq; dimiserit uxorem suam nisi ob scortationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Et *1. Corinth. 7. 13. Si infidelis discedit, discedat: non est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi casu.*

DECIMUMTER. Nuditas primorum parentum erat innocentie absq; pudore: quia absque vitio. At per peccatum veste innocentie perdita nuditas turpitudinis nostræ interna & externa apparuit, quarum illa solius filij Dei obedientia, hæc vestimentis tegi requirit. Ex verbis, *Erant autem ambo nudi.* Agnoscentes igitur nuditatis nostræ miseriam & turpitudinem Christum fide induamus, nosque superindui à Deo ardentibus votis petamus: vestimentis vero non ad luxum aut lasciuiam, sed ad necessitatem & honestatem vtamur; detestantes simul furorem Adamarum qui nudi sacra sua peragebant, vt parentes nudos in Paradiso repræsentarent. Et quia nudi nascimur in hunc mundum, nudiq; egredimur, auaritiam fugiamus, ἀντάρκειαν vero, ad quam nos

A. hortatur Apostolus, studiose colamus, memores quod nihil intulimus in hunc mundum, neque quicquam hinc auferemus: sed habentes *στρωματὶ καὶ σιτηματὶ* alimenta & regumenta (hülle vnd fülle) contenti simus.

Haftenus Moses historiam creationis rerum, & primæ mundi elegantiam, cum primis vero originalem naturæ humanæ præstantiam & felicitatem descripsit: idque secundum rei veritatem, prout de ea diuinitus prophetico spiritu fuit edoctus. Hoc vero fuit aureum illud hominum genus, & aureum illud seculum, quod fabulis suis inuoluerunt Poetæ & Philosophi; quia rem forte cognouerant ex Mose; sed veritatem nõ assecuti commentis ad eam deprauarunt. Notum est illud Hesiodi;

Ὡς τε θεοὶ δὲ ἔζωον, ἀκνήδεα θυμὸν ἔχοντες.
 Νόσθιν ἄπειρεπόντων καὶ οἰζὺς. &c.

Illudque Ouidij lib. 1. Meta.

*Aurea prima sata est etas, que vindice recto,
 Sponte sua sine lege fidem rectumq; colebat.*

Et postea;

*Ver erat æternum, placidiq; tepentibus auris.
 Mulcebant Zephyri natos sine semine flores,
 Mox etiam fruges tellus in arata ferebat:
 Nec renouatus ager grauidis carebat aristis.
 Flumina iam lactis iam flumina nectaris ibant,
 Flauaq; de viridi stillabant ilice mella.*

Nec dissimiliter Plato conditionem priscorum hominum sub fabuloso Saturni regno in Politico suo descripsit.

C A P V T III.

Argumentum, Vñus, Partitio, Analyfis.

D Einceps hoc capite exponit Moses luctuosam rerum catastrophem: hominis peccatum & defectionem à DEO, ipsiusque & totius mundi maledictionem propter peccatum. Aperit ergo hic fontem illum omnibus mundi sapientibus absconditum, ex quo tanta ilias malorum, hoc est, prauitas & vanitas & tot ærumna, quibus natura humana cernitur obnoxia; & ad quas eam non esse factam constat, in genus humanum & in vniuersum naturæ statum redundauit.